



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Thomæ Młodzianowski, Poloni, Societatis Jesu,
Prælectionum Theologicarum Tomus ...**

De Peccatis Et Gratia, Fide, Spe, Et Charitate

Młodzianowski, Tomasz

Moguntiae, 1682

Diff. III. Quibusnam detur gratia sufficiens.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82969](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82969)

stantiis. Et ita v. g. calor confert ad ignitionem positivè, non habere autem multos humores siccandos est remove, prohibens, & Negativè concurrere. Quando itaque aliquis non ponit malum usum sui arbitrii, qui est naturalis, is non ponit impedimentum quod auferri deberet, per collationem auxilii. Quod autem in oppositum adfertur sequi ex hac explicatione, facienti etiam actus indifferentes, vel actus merè externos, non denegandam gratiam, id non convincit. Negamus enim dari ullos actus in individuo indifferentes. Negamus dari ulla præcepta quæ saltem ex consequenti non inferant præceptum alicujus actus interni. Concesso autem, quod etiam actionibus indifferentibus elicitis non ponatur obex gratiæ, inde non sequetur, quod ipsa non denegatio gratiæ æqualiter respiciat actiones indifferentes: proximius enim respicit nolle operari male, & operari bene, ad eum modum, quo si lignum sit album, non est positio impedimenti ne ignescat, est tamen remotio proximior impedimenti, quod non sit humidum, ita proximior est remotio impedimenti, non ponere utrumque malum arbitrii, quam exercere actiones indifferentes.

EXPLICARI potest 3. Aliquantulum immutando ea quæ superius ex Ripalda allata. Facienti quod in se est, v. g. urgente præcepto vel commoditate confessionis, Deus non denegat gratiam suam supernaturalem, ut eliciat actum doloris supernaturalem, idque hoc sensu. Sicut in ordine naturali, Deus, prout est causa prima naturalis, non denegat suum concursum, cum incumbit, vel occurrit hic & nunc operari creaturam; ita ut non nisi ex particulari aliqua ratione, & miraculosè agens Deus denegat concursum naturalem; ita & in ordine supernaturali Deus tanquam causa prima supernaturalis non denegat suum concursum proximè, nisi accedat ratio aliqua particularis, v. g. pena peccati, quia autem non constat homini, de illis invisibilibus, & indiscernibilibus actibus: neque enim possumus in nobis actum naturalem, à supernaturali, experiendo discernere, possumusque cogitare an non Deus sit usus hæc suâ particulari ratione; sit ut sperare possimus, non credere quod actum supernaturalem ex gratia profectum habeamus, ipsamque gratiam sanctificantem. Si autem denegat nobis hanc gratiam, non operabitur adhuc miraculosè: quia operabitur ad exigentiam peccati, & suæ offensæ, in ordine autem physico miraculosè operaretur, si non ad exigentiam causæ, vel contrarietatis operaretur.

DIFFICULTAS III.

Quibusnam deur Gratia sufficiens?

Fusius ab aliis dicta in compendium redigendo.

ASSERO 1. *Gratiam sufficientem dari*

omnibus

RATIO. Tum quia, Deus vult omnes salvos fieri, quod non posset verificari si media, illis ad salutem non prævideret, pendentia non nisi à sua manu: Nam volens finem debet velle & media, si illa ita sint non nisi in manu volentis finem, ac est in manu ejus volitio finis.

Porro hæc media sunt gratiæ, quæ solæ sunt proportionatæ fini salutis nostræ & visionis Beatæ. Cumque non prævideantur gratiæ efficaces omnibus, saltem provideri debent sufficientes. Tum quia. Joan. 1. dicitur: Illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Ergo si non illuminat omnes efficaciter, saltem illuminat omnes sufficienter. Tum quia. Certum est, Christum pro omnibus esse, mortuum quod fundatur in 1. Joan. ipse est propitiatio nostra pro peccatis nostris, non solum autem pro nostris, sed & pro totius mundi, & 2. ad Cor. 5. Pro omnibus mortuus est Christus. Eoque servit illa comparatio, quod sicut in Adam omnes mortui sunt, sic in Christo omnes vivificentur. Et quæ in oppositum adferuntur hoc solum volunt, quod Christus noluerit in ordine ad dandas omnibus gratias efficaces, offerre mortem suam, quomodo autem mortuus esset pro omnibus, & non omnibus effectus mortis illius per gratias & media offerretur saltem sufficientia.

ASSERO 2. *Dari gratiam sufficientem omnibus Barbaris*, ad quos nulla pervenit fama supernaturalium, de quo integerrima disp. ponit Ruiz de Prædest. 46.

RATIO. Tum quia, expressè dicit Apostolus Rom. 1. *Quod notum est Dei, manifestum est illis: Deus enim illis manifestavit*, refertque Paulus illam manifestationem in visibilia mundi, in quibus invisibilia Dei intellectu conspiciuntur. Subdit, *ita ut sint inexcusabiles*, quomodo autem inexcusabiles essent, si nulla illis gratia sufficienter offerretur. Tum quia. Præter alia loca Augustini quæ refert Ruiz d. 39. S. 4. ita habet lib. de Spiritu & lit. c. 33. *Vult Deus omnes homines salvos fieri, in agnitionem veritatis venire, non sic tamen, ut adimat liberum arbitrium, quo vel bene vel male utentes iustissime judicentur, quodcumque sit, respiciendum contra voluntatē Dei faciunt, cum ejus Evangelio non credunt.* Tum quia. Ita expressè docet S. Th. in 3. dist. 22. q. 2. a. 1. ad 2. Neclibellus contradicit, quia hoc loco solum vult quod non detur omnibus proximè sufficiens auxilium.

Hoc assertum restringit sic Arriaga d. 4. q. 1. ut dicat probabilissimum esse multos ex Gentilibus nunquam habuisse immediatam potentiam ad conversionem, consequenter nec mediata auxilia ad illam. Ratio, quia sepe dubitarunt tota vitā suā de fide, vel dubium levissimum, & non inducens obligationem interrogandi, denique quia occasionem non habuerunt; & esto habuissent, si tamen deus non venere ad instructionem, non habuere potentiam immediatam, sed tota illa in terminis

potentia mediata, & remota mansit. Ut autem potuerint salvari, inquit illi, sufficit potentia saltem remota.

NOTO. Ad solvendas Objectiones. Quod quamvis dicatur Act. 14. Deum in præteritis generationibus dimisisse gentes ingredi vias suas, hoc dimittere non significat desertionem à gratia, sed non præventionem à gratia efficaci; indicatque Deum permisisse Idololatriam; quo etiam modo accipi debet locus ex Act. 16. quando autem ibid. Act. 16. dicuntur prohibiti Paulus & Timotheus à Spiritu S. non loqui Verbum Dei in Asia, non inde sequitur, quod aliis mediis sufficientia illis auxilia non sint exhibita. Multa etiam loca quæ Aug. quæ scripturæ explicari debent de negatione auxilii efficaci. Et quamvis sine fide impossibile sit placere Deo, ea que percipiatur ex auditu, hoc probat non omnibus Barbaris adesse gratiam efficacem ad converti, sed non probat, deficientem prædicatione deficere alia media illuminandi eosdem. Unde etiam ut advertit Ruiz d. 15. S. 8. non omnes Barbari committunt speciale peccatum infidelitatis, sed ab eo excusantur per ignorantiam invincibilem. Rationemque dat, quia illustrationes, & excitationes quas accipiunt, non excitant immediatè ad credenda Mystéria supernaturalia, neque immediatè & proximè conferunt potentiam sciendi & credendi supernaturalia; & licet cum sola remota potentia ad salvari, imputetur illis non salvari, non tamen ob remotam potentiam ad credere, imputabitur illis specialiter non credere.

Quamvis autem suavis Dei providentia, dum proponitur fides primùm Ethnicis, faciat firmam illam ordinariè miraculis; sine miraculis tamen potest Deus insinuare sui notitiam. Quando autem dicit S. Thom. ad instructionem inculpabiliter ceteroqui viventis Ethnici mittendum Angelum, vel prædicatorem censet Ruiz à necessitate frequentandi tales modos, liberari Deum culpabili resistantia Barbarorum. Deoque sese insinuante Barbaris, supplebit vicem motivorum credibilitatis, fortis & exacta illuminationis. Quamvis autem inter providentiam supernaturalem & naturalem debeat esse aliqua proportio, & quamvis providendo Deus omnibus viventibus necessaria ad vivendum, nihilominus contingat fame interire animalia, non sequetur tamen provisio mediis ad salutem necessariis pro omnibus hominibus, quod sit relicurus aliquem sine sufficienti remedio: quia nullum est absurdum, ut Deus permittat interire vitam corporalem; absurdum autem esset in secundo, quia talis homo operando illas actiones non peccaret: non enim liberè peccaret; si quidem non haberet omnia præsidia necessaria ne peccaret. Casu autem quo se radicet in mente Barbarorum fides, habebunt saltem implicitam fidem multorum Mysteriorum inclusam in

Assensu de Dei existentia, de Deo præmiatore & punitore, &c. similia.

ASSERO 3. *Ad vitanda peccata ad commissæ abolenda, dari hominibus singulis momentis gratiam.* Dixi momentis, moralibus & non physicis: quia saltem non datur dormientibus, ebriis, patientibus spasimum &c. Cumque gratia semper incipiat à pia cogitatione; quis experitur se singulis momentis physicis illam habere. Unde nomine momenti moralis venit momentum, quo vel urget necessitas, vel occasio opportunitasque ingerit conversionem. Principalis autem punctum in Asserto positi.

RATIO est. Quia aliàs si ad prædicta non daretur gratia, esset impossibilis, illo momento morali, observatio præceptorum, vel conversio ad Deum. Cujus oppositum scriptura & PP. docent. Fundatur hæc Resolutio in dicto Lateranensi Concil. sub Innoc. 3. cap. *Firmiter*. *Si post susceptum baptismum quispiam relapsus fuerit in peccatum, per veram penitentiam semper potest reparari.* Et Ephrem. Serm. 3. de Compunct. *Semper ejus gratia cor da nostra visitat.*

DICES. Si deberet dari singulis & semper gratia sufficiens, ex eo deberet dari: quia si non daretur non posset nobis imputari ad peccatum actio mala, eò quod poneretur à nobis non habentibus necessarium prærequisitum ne peccemus. Sed hæc ratio non convincit, quia etiam illà gratiā non habitā peccaremus, quod ipsum probatur, quia aliàs posset aliquis perseverare in gratia sine ullo novo auxilio Dei, & speciali: cum tamen perseverantia in gratia, ut suppono, finalis, specialem favorem Dei requirat. Sequela autem probatur. Pone aliquem in ebrietate esse occisum, pone eundem ne inebriaretur caruisse gratia sufficienti, talis per nos ebrietate non peccaret; & tamen sine ullo jam alio favore perseveraret: quia ipsum perseverare in gratia, nihil aliud est, quàm non peccare.

Rursus possemus bene petere à Deo, noli mihi dare gratiam sufficientem: quia possumus petere ne peccemus, non peccaremus autem etiam mala operando, si non haberemus gratiam sufficientem.

RESPONDE TUR. Suppositionem involvere seipsam. Nego enim secundum præsentem ordinem quem Deus fecit, ullum inebriandum carere gratia sufficienti, ne inebrietur, consequenter ille ebrius debeat supponi peccasse. In casu autem extraordinario, quo præter ordinem à se factum, nollet Deus conferre gratiam sufficientem, talis non peccabit, perseverabitque in gratia; sed non secundum præsentem ordinem in quo liberè perseveramus, requirimus tamen specialem favorem Dei, sed perseverabit secundum alium ordinem rerum. Quod adfertur de illa oratione non convincit: mala enim foret: quia indicaret affectum internum, & propensionem ad malum, essetque similis illi affectui, quo vellet aliquis furari, nisi foret prohibitum.

(S) 2

Quod

Quod attinet ad parvulos.

ASSERO 1. *Quod etiam parvulis sit praevisa gratia sufficiens analogicè ad delendum originale.* Dixi Analogicè, quia cum gratia sufficiens importet illuminationes & affectiones quarum sunt incapaces infantes, fit ut non dicantur habere gratiam sufficientem sine addito. Nomine etiam adjutorii venit principium elevativum potentiae, quod autem tale elevativum est respectu infantum? Nomine autem gratiae sufficientis Analogicè, venit medium à Deo praevisum, ut ab originali liberentur. Hinc jam affertur Ratio est. Quia sicut adultis quantum est ex parte Dei nihil deest, quod requiritur ad salutem, modò cooperari velint; ita & parvulis providit medium salutis in baptismo: ita ut neminem à parte sua ab illo excluderet, modò cooperari velint, parvulos gubernantes.

ASSERO 2. *Aliquibus provisum esse tale medium non nisi remotè sufficiens:* quia scilicet providit quidem illis Deus de baptismo, quo si usi fuissent, fuissent libertati; ex accidenti tamen moriuntur in utero matrum. Ergo talibus non datur gratia proximè sufficiens ad auferendum originale.

ASSERO 3. *Aliquibus provisum esse medium proximè etiam sufficiens.*

RATIO. Quia nihil deest ut baptizetur, modò velint adultiores parvulum gubernantes. Adhuc potest, quòd sicut Deus volens omnes homines salvos facere nihilominus non omnes efficaci voluntate vult salvare, hinc neque illis applicat media efficacia; ita & volens omnes parvulos salvos facere non omnes vult efficaciter salvos facere; hinc efficaciter illis vult baptismum, ipso efficaciæ defectu non orto à parte Dei, sed à parte v. g. circumstantiarum.

QUÆSTIO II.

De Gratia operante.

SUB initium Tractatus mentionem feceramus de gratia Operante & Cooperante. Utrumque hoc membrum in præsentī explicandum.

PRÆMITTO 1. *An gratia Operans, & Cooperans sint membra dividentia gratiam habitualement actualem?* Quòd sint membra dividentia habitualement, recenset Auctores Rip. d. 112. n. 9. hoc est, S. Th. Albertum, Bonacin. Gabriel, Alens, Antonin. oppositum sentit Suar. Vasq. post illos Ripalda. Rationemque dat. Quia gratiam operantem voluit eam esse August. quā Deus operatur ut velimus. Jam autem habitualis non operatur ut velimus. Rursus operans est in nobis sine nobis, habitualis autem in adultis dependenter à libero consensu infunditur. Potest tamen gratia habitualis per accommodationem appellari operans & cooperans.

PRÆMITTO 2. *An agnoverit August. gratiam*

operantem & cooperantem? Censet Vasq. quòd quoad vocem illas non agnoverit. Sed æquivalenter habentur illi termini in August. Lib. enim de lib. arbit. c. 17. ait: *quis istam etsi parvam dare cøperat charitatem? nisi ille qui pręparat voluntatem, & cooperando perficit, quòd operando incipit.* En meminit Dei operantis & cooperantis in ordine supernaturali quòd æquivalenter est meminisse gratiæ operantis, & cooperantis. Gratiam etiam cooperantem innuit Aug. Serm. 13. de Verb. Apost. c. 13. *Si non esset operator, non esset ille cooperator.* Et Trid. de Justif. can. 4. dum ait nos cooperari gratiæ Dei, operantem autem innuit, quando ait Deum incipere vocando & tangendo cor.

PRÆMITTO 3. *Varia alia nomina, eaque specialiora gratiæ operantis, & cooperantis.* Nomine gratiæ operantis venit gratia præveniens, excitans vocatio & c. Nomine autem gratiæ cooperantis venit gratia adjuvans, concomitans, simultaneum auxilium & c. & Ratio est, quia nulla est necessitas multiplicandi dicta auxilia, estque Auctoritas pro nobis. Nam August. pro eodem sumit gratiam operantem, incipientem, cooperantem, de quo legatur Suar. l. 3. de grat. cap. 20. n. 4. Imò etiam Trident. exhibendo Doctrinam de Auxiliis Gratiae ad salutem necessariis, non meminit nisi gratiæ excitantis & adjuvantis. Ergo apparet quòd reliquæ ad has revocentur, adeoque & ipsa gratia operans, & cooperans, cujus rationem dat Suar. quia voluntas nostra ut supernaturaliter operetur non indiget nisi ut à Deo præparetur & postea juvetur. Ergo tantum indiget duabus gratiis actualibus, quamvis illæ diverso nomine appellantur. Itaque eadem gratia in quantum nos movet immerfos & infopitos aliis, dicitur excitans, conformiter ad illam phrasim: Surge qui dormis. In quantum habet rationem primam illa serie gratiosè operandi, vocatur præveniens, in quantum illa cogitatio sancta fit in nobis, sed liberè non concurrentibus, vocatur operans. Jam autem gratia, in quantum simul nobiscum operatur, dicitur cooperans, eadem in quantum nos elevat ad supernaturalia, vel etiam naturalia nobiliora, vocatur adjuvans, in quantum autem post primam ineliberatam cogitationem, & affectionem nata est sequi, vocatur concomitans.

DICES. Datur gratia subsequens, & tamen hæc neque est operans, neque cooperans. Ergo non adæquate dividitur gratia in operantem & cooperantem.

RESPONDETUR. Nomine gratiæ subsequentis possunt intelligi gratiæ ex præhabita Justificationis suppositione concessæ, habetur hoc in August. Lib. de Nat. & grat. c. 31. *prævenit ut sanemur, & subsequitur ut sanati vegetemur.* Hæc acceptio est vera sed lata, unde etiam Beatitudo vocatur gratia subsequens, ut glorificemur.